



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1784

VD18 13322648

§. 50. Controversa electio cujusdam Canonici Coloniensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

XI. Jubeantur legati negotium Sæc. XVIII.
 maturare. A. C. 1727.

XII. Intra duos menses articuli isti
 ratificentur.

§. L.

*Controversa electio cujusdam Cano-
 nici Coloniensis.*

Hoc item anno levis dissensio exorta
 est inter Colonienses | Canonicos
 Cathedrales & Presbyteriales; Cele-
 berrimum hoc Capitulum constat vi-
 ginti quatuor Canonicis, ex quibus
 sexdecim non nisi ex Imperii Principum
 vel Comitum gente orti assumi possunt,
 ceteri vero octo, quos *Canonicos Pres-
 byteros* vocant, Nobilitatis gradu infe-
 riores quidem sunt, jure tamen suffra-
 gii in electionibus gaudent. Ex horum
 numero jam Anni 1723. die trigesima
 Octobris Wernerus a Veyder Metropo-
 litanæ Ecclesiæ Suffraganeus & Ec-
 clesiæ Cathedralis Canonicus obierat.
 Indicebatur novi Canonici electio jam-
 jam ad diem tertiam Novembris ejus-
 dem anni; eo quod rumor esset, Suf-
 fraganeum in favorem tertii suam re-
 signasse præbendam: Competitores
 vero erant Joannes Andreas a Sier-
 storf, & Henrichus Augustinus de
 Mörs: Convenerant Electores inter se,
 ut

Sæc. XVII. ut utriusque Competitoris nomina in
 A. C. 1727. separatis schedis aliena manu scribe-
 rentur, & in singulos Electores distri-
 buta, capsulæ tamdiu inclusa remane-
 rent, donec summi Pontificis iudicio
 constaret, an resignatio a Suffraganeo
 facta pro valida habeatur. His ita
 constitutis die tertia Novembris quin-
 decim Capitulares per se, & quinque
 absentes per suos Procuratores præ-
 fato modo sua dederunt suffragia, qui-
 bus præsentibus capsula sedulo occlu-
 debatur. Aberant insuper tres Cano-
 nici, scilicet Elector Trevirensis, &
 Comes de Fürstenberg, necnon Chri-
 stianus Buschman, quorum prior in Si-
 lesia, alter Salisburgi tum agebant, &
 tertius nondum suffragii jure fruebatur.
 Horum adventus non expectabatur,
 partim quod ob loci distantiam haud
 venturi crederentur, partim quod pro
 veteri hujus Ecclesiæ more absentes
 non invitarentur, nec eorum ullus
 suum constituisset Procuratorem. Pau-
 lopost Canonicis nuntiatum erat, quod
 Officialis, seu Judex Episcopalis a sum-
 mo Pontifice petierit, ut si forte ex
 Competitoribus quisque æqualia ferret
 suffragia, suo Agnato Henrico de Mörs
 Votum, ut ajunt, *gratificativum* Papa
 concedere vellet, uti nuper Joannes Tho-
 mas de Quentel pro Canonicatu ad
 S. Ge-

S. Gereonem gratiose obtinuisset. Hoc Sæc. XVIII.
 comperto Collegium Cathedrale, ut A. C. 1727.
 Canonicum eligendi jus illo Mense sibi
 competens tueretur, quempiam, qui
 Officialis petito repulsam fieri impetra-
 ret, Romam ablegare, ac interim
 electionem perficere statuit. Hunc ergo
 in finem die octava Novembris conve-
 nere Electores, qui reclamantibus ta-
 men Canonorum nonnullis, capsu-
 lam aperuerunt, & scrutatione facta
 prehenderunt, præfatum Henricum
 suffragia decem, & totidem Sierstor-
 fium tulisse. Altera die Electores
 conventum habuere, cui etiam Chri-
 stianus Buschman obtento suffragandi
 jure interfuit: Hi ergo, incassum licet
 sese opponentibus Henrici Amicis, se-
 quenti die novam instituunt electionem,
 ubi duodecim suffragia in solum Sier-
 storfium conspirasse deprehensum est,
 proin annumeratis tribus illis Cano-
 nicis, qui absentes erant, a potiori Ca-
 pituli parte in Canonicum electus cre-
 debatur. Hic ergo die vigesima nona
 Novembris sui Canonicatus possessio-
 nem quiete adiit, & completo *Residen-*
tia ut vocant, anno, sequenti die vige-
 sima nona Decembris Capitulo cum
 omni jure aggregatus est: Paulopost
 Henricus de Mörs Romam ad Datariam
 recurrebat, quin vel ipse, vel suo no-
 mine

Sæc. XVIII. mine alius suam ab Electione appel-
 A. C. 1727. lationem tempore a S. Canonibus præ-
 scripto insinuasset. Petebat enixe ac
 iterato, ut Canonatus, quem Sier-
 storius occupasset, sibi concedere-
 tur, semper tamen repulsam tulit; eo
 autem tempore, quo omni spe exci-
 disse credebatur, quorum favore, ne-
 scio, obtinuit Pontificium Breve, vi-
 cius eidem hic Canonatus adjudica-
 tus est. Re demum ad Rotam Ro-
 manam devoluta, hi quoque Judices
 in favorem Henrici pronuntiant, ea po-
 tissimum ducti ratione, quod Sierstor-
 fii electio per quorundam appellatio-
 nem penitus infirmata, & absentes Ca-
 nonici ad electionem invitati non fuis-
 sent. Re comperta Sierstorius, ei-
 que additi Canonici Romam provoca-
 runt, ubi hac caussa rursus ad examen
 vocata Rotæ Romanæ Judices appel-
 lantibus injunxere, ut inveteratam
 absentes non vocandi consuetudinem
 hucusque nondum legitime probatam
 validioribus argumentis firmarent. Id,
 quantum fieri poterat, effecere Ca-
 nonici, simulque Sierstorius acta de-
 super instituta Romam detulit. Præ-
 figitur etiam terminandæ huic liti pri-
 mo dies septima, & postmodum de-
 cima quinta Martii anni sequentis: Tan-
 dem vero Pontifex Patri Corio cele-
 berri-

berrimo illius ævi Theologo negotium Sæc. XVIII.
 dedit, ut apud Rotæ Romanæ Tribu- A.C. 1727.
 nal rursus in hujus causæ merita fe-
 dulo inquireret, quo referente Papa
 die vigesima Februarii Breve Aposto-
 licum confecit, in quo exposuit, quod,
 sumptuosæ huic liti jam ad quadri-
 ennium protractæ finem daturus, „simul-
 „que pacem & unitatem inter Eccle-
 „siasticos redditurus, & ne diutius Ec-
 „clesia debito cultu destitueretur, ex
 „plenitudine potestatis, motu proprio,
 „& ex certa scientia hanc controver-
 „siam ad se avocarit, eamque penitus
 „extincturus Henrico de Mörs contro-
 „versum Canonicatum concesserit, proin-
 „omnes hac in causa contrarias dispo-
 „sitiones, etiam Pontificiæ *Cancellariæ*,
 „etiam sub obtentu, quod *nemini jus*
 „*acquisitum auferri queat*, tanquam irri-
 „tas nullasque declararit., Hoc Breve
 Pontifex primum die undecima Martii
 publicum reddi concessit, de eo tamen
 clam edoctus Henricus de Mörs ad
 Clementem Augustum Colonix Ele-
 ctorem, qui tum Monachii agebat,
 contendit, ab eoque literas obtinuit,
 vi quarum Apostolico Nuntio Ponti-
 ficii hujus Brevis executio demandata
 erat. Perlectis hisce literis Nuntius
 de trigesima prima Martii per Cleri-
 cum, quem ab Epistolis habebat,
 Apo-

Sæc. XVIII. Apostolici hujus Brevis transumptum
A. C. 1727. ad Capitulum Cathedrale transmisit,
 rogans, ut illud executioni dare haud
 moraretur. Verum Canonici ad hæc
 reponebant, se maximam erga Papam
 ejusque dispositiones venerationem pro-
 fiteri, agi tamen de re tanti momenti,
 ut maturiori deliberatione opus esse
 videretur. Percepto hoc responso
 Apostolicus Nuntius die secunda Apri-
 lis per literas vi sui officii præcepit, ut
 intra tridui spatium Henricus de Mors
 in plenam controversi Canonici pos-
 sessionem sub pœnis Ecclesiasticis &
 censuris introduceretur. Attamen Ca-
 nonici per Decanum, duosque Capitu-
 lares tantam temporis moram sibi in-
 dulgeri petebant, ut Pontifici æque ac
 Electori Coloniensi, tanquam *subdele-*
gato suas rationes exponere possent:
 reposuit tamen Nuntius, id eis con-
 cedere, sibi haud integrum esse, ni
 ergo intra præstitutum terminum Pon-
 tificiæ voluntati obtemperarent, se ipso
 facto excommunicatos esse scirent.
 Hac Nuntii declaratione perculsi Ca-
 thedrales Canonici unanimi suffragio
 decrevere, querelas suas ob denega-
 tam deliberandi moram, necnon ob
 censuras a Nuntio interminatas ad
 ipsum summum Pontificem esse defe-
 rendas, interim vero, ne ob has ipsas
 cen-

censuras scandalum in populo oriretur, Sæc. XVIII.
 Henrico de Mörs præfati Canonicatus A. C. 1727.
 possessionem esse indulgendam, donec
 aliter decerneretur, quin tamen hac
 indulgentia Capituli juribus quicquam
 derogaretur. Cognita hac Capituli
 sententia Henricus de Mörs Clericum
 nomine Detryum designabat, qui ejus
 nomine Canonicatus possessionem ad-
 ret: obstabat tamen Sixti IV. Consti-
 tutio, vi cujus in Colonienfi Ecclesia
 nullus in Canonicum Presbyterialem eli-
 gi posset, nisi vel Licentiæ vel Doctora-
 tus gradu insignitus esset, quo tamen,
 cum careret Mörsius, ab hujus Cano-
 nicatus possessione tum abstinuit, in-
 terim vero in Heidelbergensi Univer-
 sitate primum Doctoratus gradum sibi
 procuravit, eoque obtento illius di-
 ploma Nuntio exhibuit; qui die tri-
 gesima Aprilis Cathedrali Capitulo per
 suum Tabellarium denuntiari jussit, ut
 Mörsio Canonicatus possessionem sine
 ulla tergiversatione affereret. Oppo-
 nebant Canonici, præfixum terminum
 pro rei gravitate esse nimis arctum,
 & non nisi paucissimos ex Canonicis præ-
 sentes esse, vi tamen Statutorum ad
 ejusmodi negotium præsentiam pene
 omnium requiri, ac denique de Ec-
 clesie & Cæsaris juribus agi: Nec ta-
 men propterea Nuntius a suo proposito,
Hist. Eccles. Tom. LXXII. T t &

Sæc. XVIII. & anathematis comminatione amoveri
A. C. 1727. poterat: Ergo Canonici, ut omnis of-
 fensionis ansa, & plurima mala inde
 oritura præcaverentur, Mörſii Procu-
 ratori possessionem præſati Canonatus
 indulserunt, adjecta tamen solemnî pro-
 testatione, quod extorta hæc, & non-
 nisi sub certis conditionibus indulta
 possessio nullatenus pro legitima pos-
 sessione sit habenda, nec quid juris in
 hunc Canonatum Mörſius acquisivisse,
 censeatur. Facta hac declaratione
 Mörſius a Capitulo petiit, ut per se-
 ipsum possessionem adire permetteretur,
 cui tamen responsum, Pontificiam con-
 cessionem Germanicæ Nationis concor-
 datis, & Ecclesiæ Cathedralis privi-
 legiis ac statutis recta adversari, prius
 ergo rem ad eos, quorum interesset,
 deferendam esse; mox etiam Capitu-
 lum ad summum Pontificem appella-
 vit, rogavitque, ut totam causam de-
 nuo Rotæ Romanæ discussioni ac judi-
 cio committere velit. Ad hæc tamen
 reposuit Pontifex, se nullatenus anti-
 quæ Capituli consuetudini de non vo-
 candis absentibus velle derogare, Sier-
 storſio autem Canonatum vel Præ-
 bendam proxime vacaturam concede-
 rent, etsi ejus collatio vel Sacræ Sedi,
 vel Coloniensi Archiepiscopo reservata
 esset. Nihilominus tamen Canonici
 servata

servata debita veneratione summo Pon-
 tifici exponebant, sibi permolestum
 accidere, quod Capitulum legitimæ a
 se factæ electionis effectu post immen-
 sas pene expensas spoliaretur, ac in
 præjudicium Capituli & Sierstorffii Mör-
 sio faveretur, hac etiam gratia mani-
 feste lædi indultum Sixti IV. & Con-
 cordata Germaniæ; ibi enim §. *Item*
 decisum haberi: quod *Sanctissimus Domi-
 nus noster per quamcunque aliam reserva-
 tionem, gratiam, expectativam aut quam-
 vis aliam dispositionem sub quacunque ver-
 borum forma, per eum aut ejus auctoritate
 factam vel fiendam non impediatur, quo mi-
 nus de illis, cum vacabunt, de mensibus
 Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octo-
 bris & Decembris libere disponatur per
 illos, ad quos collatio, provisio, præsen-
 tatio, electio, aut alia quævis dispositio
 pertinebit: Reservationibus aliis aut pro-
 missis ac dispositionibus auctoritate ejusdem
 Domini nostri Papæ factis vel faciendis non
 obstantibus quibuscunque &c.* Hanc au-
 tem Concordatorum dispositionem la-
 befactari I. quia per Breve Pontificium
 Sierstorffius & Capitulum privaretur
 electionis factæ fructu contra concor-
 data, vi quorum Capitulis non solum
 in certis Mensibus eligendi, sed & Ele-
 ctos in acquisito jure conservandi &
 tuendi jus competeret, II. quia si pro-

Sæc. XVIII.
 A. C. 1727.

Sæc. XVIII.
A. C. 1727.

xime vacans Præbenda vi Brevis Apostolici Sierstorffio esset concedenda, Capitulo libera hanc, cui voluerit conferendi potestas & jus denuo auferretur.

Interim Coloniense Capitulum Cathedrale & Canonicus de Sierstorff contra Mörffium ad Cæsareo - Aulicum Consilium, transmissa totius causæ relatione, recurrerunt, nec sine prospero successu; cum enim Canonici iudicium suæ petitioni propitium obtinerent, Imperator die undecima Januarii Anno 1729. hanc litem terminavit, edito hoc decreto:

„Sacra Cæsarea Majestas sua, Cæsareo - Aulici Consilii iudicium approbat, declaratque, quod sicut vi officii Cæsarei rebus ita constitutis occurrere tenetur, ita etiam totam rei seriem cum omnibus causæ momentis circa factum & jus ad Cardinalem Cienfuegos pro ipsius pleniori informatione per Rescriptum transmittere decreverit, simulque decretum expediri iusserit, vi cuius Mörffio ejusque fautoribus Cæsarea indignatio, & postmodum secutura denegatio Cæsareæ protectionis ac præsidii, demum vero temporalium proscriptio interminaretur. „

Præterea Sierstorffius, & Coloniense Capitulum in suæ causæ favorem

rem adhuc alias protulere rationes, Sæc. XVIII.
 eisque Trevirense, Hildesheimense, Mo- A. C. 1727.
 nasteriense, & Leodiense Capitulum
 Cathedrale suffragabantur. Ast eo-
 rum omnium postulata ad acta esse re-
 ferenda, die quarta Martii decerneba-
 tur, & partibus injunctum, ut Cæsa-
 reæ sententiæ die undecima Januarii
 latæ starent, ac denique Mörsii Pro-
 curatori significatum, ne imposterum
 relationibus veritati contrariis, uti ha-
 ctenus fecisset, litem prosequi præ-
 sumeret.

§. LI.

*Joannis Francisci Frisingensis Epi-
scopi obitus.*

Speciali memoria recolendus est obi-
 tus Joannis Francisci Frisingensis
 Episcopi. Hic ex Illustrissimis Paren-
 tibus Joanne Christophoro Eckero Ba-
 rone a Kapfing, & Maria a Kading
 die 16. Octobr. Anno 1649. Trainii na-
 tus erat: Enituit in eo indoles ad om-
 nem probitatem, & Divinorum amo-
 rem suoapte genio propensa, mens non-
 nisi rerum grandium capax. Haustis
 primis literarum rudimentis Ephebus
 honorarius in obsequiis Alberti Sigis-
 mundi Ducis ac Frisingensis Episcopi
 erat, quo tempore Monachii sua studia